

28) Quot missae celebrandae, si Stipend. sit tenue vel non fixatum?

Vd.: *Stipend.* (num acceptatio licita sit a Sacerdot. etc. *Constitut. Urb. VIII.*)

Ad dub.: Quid, si legatum ita sit tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, etsi recurrendum sit ad Sedem apostolicam pro moderatione oneris, totum aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis? Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari?

S. C. C. resp.: Etsi legatum sit ita tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut supra impositi, ab his, ad quos pertinet, Sedem apostolicam esse adeundam, quae absque ulla id statuet, quod magis in Domino verum esse judicaverit. Verumtamen, si in ipsa Beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere ac moderari legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam et observandam. Die 23. Novembris 1697.

Ad dub.: An in decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot missae, quot ad rationem tributae eleemosynae praescriptae fuerint, illa verba: *praescriptae*, intelligendae sunt de praescriptione facta ab Offerente vel ab Ordinario?

S. C. C. resp.: Esse intelligenda de praescriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod si Tribuens numerum missarum non praescripserit, tunc tot missas celebrari debere, quot praescripserit Ordinarius secundum morem civitatis vel provinciae.

Die 23. Novembris 1697.

29) De non recipiendis pecuniis pro missis celebrandis in provincia reformata Ffr. Minor. de obs. Vallis Mazzarrae in Sicilia.

Vd.: *Stipend.* (a Regular.)

Urbanus PP. VIII.

Cum sicut accepimus in provincia reformata Vallis de Mazzara nuncupata ffr. Min. Ord. s. Francisci de observ. semper servatum fuit, ut nullae pro celebrandis missis pecuniae recipiantur sed missae gratis pro benefactoribus juxta intentionem superioris applicentur, nonnulli vero laudabilem usum hujusmodi immotare et invertere nitantur, Nos omnem turpis quaestus materiam ab illis, qui perfectam paupertatem profitentur, in re praesertim adeo sacra e medio tollere pro pastoralis nostrae sollicitudine volentes, ne de caetero perpetuo futuris temporibus in provincia praedicta ullae omnino pecuniae pro missis celebrandis exigantur ac etiam sponte datae recipiantur sed missae gratis, ut consuevit, celebrentur, sub vocis activae et passivae ac quo ad Superiores etiam suorum officiorum privationis poena eo ipso absque alia declaratione incurrenda, auctoritate apost. praesentium tenore interdiximus et prohibemus.

Datum Romae apud S. Petrum die 28. Maji 1642.

(Bull. r. t. V. p. 573. Ed. Luxbg. 1742.)

30) Reductio.

Vd. *Stipend. miss.* (utrum etc. augenda?)

Andrien.

(Conc. Tr. C. 12. Sess. 25.; De ref. Decr. de Purgat. ead. Sess.)

Sedulo animo volentes Capitulares Collegiatae Ecclesiae sanctissimae Annunciationis civitatis Andriae, quod prae tenuissima massae distributione, Chori servitium pessundatur ac missarum conventualium celebratio negli-

gitur, sub die 30. Decembris anni 1714 coacto capitulo unanimiter decreverunt, id tantum superesse remedium, quod ex pingui massa sacrificiorum, quae ex piis dispositionibus eleemosynam habent, trium carolenorum pro unoquoque, detrahatur ex singulis unicus carolenus, ac respective applicetur praedictae massae choralis, ut exinde notabile augmentum ipsi adeatur. Ut igitur stabili firmoque successu decretum ejusmodi capitulare constabiliatur, suppliciter Presbyteri participantes steterunt coram EE. PP. pro apostolico beneplacito. His remissis precibus ad episcopum nuper defunctum, ut Sac. Congregationem desuper instructam redderet, idem ipse luculentam informationem transmisit super Collegiatae ecclesiae statu caeterisque praetermissis opportune recenset quod capitulum ejusmodi constituitur ex sexdecim sacerdotibus participantibus et licet in praesenti numerus nequaquam comperiat completus, prope diem tamen implebitur; massa, ut inquit, grossa hujusce capituli ex calculo quindecim annorum computari potest in quantitate annuatim duc. 116., quae distributa sexdecim capitularibus, reducitur ad tenue emolumentum duc. septem cum dimidio pro unoquoque circiter. Concluit prae laudatus relator, quod ob tenue hoc emolumentum negligitur plerumque ecclesiae quotidianum et continuum servitium, neque aliter provideri posse subtextit, nisi mediante supra exposita applicatione portiois eleemosynae missarum. Siquidem prae caeteris piis legatis quamplura comperiuntur relicta his sacerdotibus participantibus cum onere offerendi tot sacrificia, quot celebrari possent ad rationem trium carolenorum pro quolibet, quae factis calculis plerumque numerum pertinent 2720. Censuit igitur prae laudatus relator precibus indulgeri posse, cum ita notabiliter chori massa ex-

cresceret, ut inquit, in quantitate duc. 26 circiter pro quolibet participante; Numerus missarum nullimodo diminuitur, sed praeservatus remanet juxta disponentium voluntatem; earum vero eleemosyna, quae reducitur ad binos carolenos pro unaquaque, sufficiens haberi debet, juxta tamen onerum perpetuorum constabilitam in synodo provinciali Franensi Eminentissimus Priolus, qui pariter requisitus fuit, ut animi sui sensum desuper aperiret, consueta maturitate expendit, quod licet supplex petitio versetur in terminis derogandae voluntatis defunctorum, qui statuerunt eleemosynam trium carolenorum pro celebratione cujuslibet missae, nihilominus cum hoc pingue emolumentum sacerdotibus participantibus sit attributum, ipsis consentientibus, quinimo supplicantibus, videtur indulgeri posse, quod unicus carolenus pro unaquaque missa ecclesiae cultui applicetur. Eo certius quia iidemet sacerdotes sese obligant celebrare eundem numerum missarum, reductio in hoc casu considerari potest, cum a testatoribus earum numerus non sit praescriptus. Ut vero semper habeatur ratio istius dismembrationis, praesentes presbyteri illam poterunt capitulariter acceptare et juvare et eandem acceptationem jurando confirmandam demandare per quemcumque admittendum ad participationem, quemadmodum latius ex informatione prae laudati eminentissimi relatoris. His igitur prae libatis, ex latius pro parte capitularium adducendis in memoriali circumferendo dignabuntur EE. PP. sapiens oraculum juxta morem desuper proferre sub dubio:

An et quomodo oratorum precibus sit indulgendum in casu? etc.

S. C. C. resp.: Indulgendum precibus juxta votum EE. Relatoris.

Die 11. et 25. Jan. 1716.

31) Regulares in suum usum convertere non debent.

Confirmatur Ordinatio quaedam Capituli Generalis Carthusiensis, ne Monachi ejusdem Ordinis Missarum eleemosynas in privatos usus convertent. Benedictus Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Vincentius Dinelli Procurator Generalis Ordinis Carthusien., quod cum nonnullis abhinc annis inter aliquot ejusdem Ordini Monachos per se sive per interpositas personas Missarum eleemosynas procurandi illarumque lucrum contra eorum regulam et paupertatis votum, non obstante quod abunde de rebus necessariis provisi sint, sibi attribuendi abusus irrepsisset, per quandam Ordinationem Capituli Generalis dicti Ordinis anno 1684 celebrati expresse prohibitum fuit, ne unquam talium stipendiorum lucra sive palam sive secreto sibi procurarent aut reciperent, vel in proprios usus applicarent, prout fusius continetur in eadem ordinatione, tenoris qui sequitur, videlicet:

§. 1. 1684. *Ordinatio pro Missis eleemosynariis.*

Quia experientia teste didicimus, quae et qualia damna Ordini evenerunt in quibusdam locis ex celebratione quarundam Missarum, quarum stipendia a celebrantibus in proprios aut amicorum vel Parentum usus convertebantur et partim per Superiorum pusillanimitatem, partim per Subditorum astutias, qui per varias praetextuum et rationum excogitationes id sibi quasi licitum usurpabant. Qui quidem abusus jam extirpatus esse videtur: sed ne unquam tale malum in voti paupertatis perniciem et cupiditatis nutrimentum, quae propositi Carthusien.

pestis merito vocari meretur, quaecumque Domum Ordinis sub quolibet praetextu iterum ingredi valeat aut in quolibet Persona Ordinis tolerari — declinamus quascumque rationes super hac re hucusque allegatas aut allegandas frivolas esse et nullas, sed meras esse corruptelas a Seminatore zizaniorum in animarum perniciem superseminatas, cum personis Ordinis necessaria juxta propositi Carthusiensis tenorem utique ministrari per statuta nostra praescribantur et de facto ubique per superiores sufficienter ministrentur. Et prohibemus omnibus personis Ordinis in virtute sanctae obedientiae, ne unquam talium dispendiorum lucra sive palam sive secreto sibi procurant aut recipiant, vel in proprios usus applicent, sive per se sive per interpositas personas, sub poenis contra inobedientes et proprietarios per statuta ordinatis. Prioribus vero interdiximus, ne unquam id permittant aut tollerent sub poena absolutionis. Si quae autem devotae personae missas pro se celebrari postulent ad jussu Prioris, cui omnes Monachi, ex vi voti sui in his sicut consuetum est apud Nos reddantur et stipendia inde oblata aliis Conventibus incorporantur juxta mentem Sac. Concil. Tridentini Sess. 25. Cap. 2. de Reformat et juxta Cap. 13. 2. part. Statutorum nostrorum, atque administrationi Superiorum subjaceant. Nec Visitoribus ordinariis aut Commissariis liceat ullo modo super hac re dispensare: sed insuper ea omnia, quae in locis specialibus super hac re fuerunt jam per Capitulum Generale disposita volumus in suo robore permanere. Et subinde ejusmodi Ordinatio in Capitulis Generalibus annorum 1685, 1711. et currenti anno confirmata fuit.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ut Capituli Generalis Ordinatione praeserta inviolabiliter observetur, dictus Vincentius

Procurator Generalis Ordinationem hujusmodi Apostolicae Confirmationis Nostro patrocinio communiri summopere desideret:

§. 3. Nos ipsius Vicentii Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, cumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et Interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praesertim Capituli Generalis Ordinationem confirmatam, ut praefertur, cum omnibus et singulis in ea contentis, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus ac omnes et singulos juris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus ipsamque Ordinationem sub suspensionis a Divinis aliisque arbitrio Nostro imponendis poenis eo ipso per contrafacientes absque ulla declaratione incurrendis servari mandamus.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die VII. Septembris 1725.

(Bull. r. t. XIII. p. 191. Ed. Luxbg.)

(Ex statutis Ordin. SS. Trinit. Redempt. Captiv. Congreg. Hispaniae.)

Clemens XII.

I. Nullus Religiosus recipiet Eleemosynam Missarum nisi tantum pro suo Conventu; quod si itinerans pro mutatione Conventualitatis aliquam acceperit, pro illo sit Conventu, in quem tendit Conventualis futurus. Superiores

vero, etiam Generales et alii, qui Ministris non subsunt, eam, quam acceperint eleemosynam, ad arbitrium sui immediati, cui illico exactam rationem reddere teneantur, in promptu habeant; nulli enim libera eleemosyna relinquitur, nec intentio ulla, nisi raro ex concessione sui Praelati pro una aliave celebranda Missa.

II. Pro una Missa, etsi cantata, unicum dumtaxat stipendium accipitur sub poena suspensionis ab officio per tres menses Praelato contravenienti.

III. In nostris Conventibus et Collegiis non recipiantur eleemosynae pro Capellaniis et Missis perpetuis sine Superioris Generalis licentia in scriptis nec pro patronatu Conventus, Ecclesiae vel Capellae majoris vel minoris, vel pro oratione, disciplina aliove Communitatis exercitio absque sui Diffinitorii Generalis licentia in scriptis, quam concedet consulto Provinciali Provinciae illius, cujus est Conventus vel Collegium, cui conceditur.

IV. Eleemosynae receptae pro Missis perpetuis, memoriis, Capellaniis, Patronatibus dictis et Sepulturis perpetuis nullatenus in totum vel in partem (etiam consentiente Conventu) expendantur, sed ad censum annuosque redditus imponuntur. Ex licentia tamen sui Diffinitorii Generalis (omnibus consentientibus suffragiis) dictae eleemosynae jam investitae converti poterunt in redditus indemiores et utiliores Conventui, nunquam tamen pro eis subrogari bona alias antea Monasterio acquisita. Ad hoc autem, ut sedulo custodiatur pecunia impertita pro Missis et reliquis in hac Constitutione enumeratis, praecipimus in virtute sanctae obedientiae, sub praeepto omnibus Religiosis tam Praelatis quam Subditis et cuilibet in particulari, quod, dum dicta pecunia non investitur, nihil

ex ea expendant, etiam titulo mutui, alioque quocumque. Superior autem contraveniens privatus sit Officio suo, aliusque vero quicumque Frater voce et loco per triennium.

V. Pecuniae receptae pro supradictis rebus, dum non investiuntur seu in annuos redditus conferuntur, in propria conserventur specie.

VI. Ut constet de memoriis ac Missis perpetuis, quae sunt in quolibet Conventu et Collegio, justeque adimpleantur, praeterquam quod adnotatae erunt in libro magno, cui titulus Protocollo, scribantur in Tabula publico in loco.

Die 2. Aug. 1738.

(Bull. r. t. XV. p. 206. Ed. Luxbg.)

(*Ex Constit. Ffr. Ord. B. V. M. de monte Carmelo discalc. Cong. Hispaniae.*)

Pius PP. VI.

Nullus religiosorum pro se aut aliis personis sed tantum pro suo conventu missarum eleemosynam recipiat. Itinerantibus vero liceat pro itineris tantum expensis hoc facere, dummodo ad conventum, ad quem mittuntur, cum majori quam sex argenteorum debito non perveniant et de eadem re superiore conventus certiore reddant sub poena juxta gravitatem culpae vel excessus. Nunquam tamen pro una missa nisi unum tantum stipendium recipiatur, neque ulla ratione dicantur missae anticipatae pro incertis personis vel eleemosynis, quae postea forte recipiuntur; neque pro eis applicari poterunt sub poena suspensionis ab officio per quatuor menses iis, qui in aliquo horum deliquerint: aliaque a sacris pontificum constitutionibus ad hanc rem statuta serventur.

Die 14. Mart. 1786.

(Bull. r. Contin. t. VII. p. 505. Ed. Romae.)

Ex constit. Ord. Ffr. B. V. M. de monte Carmelo excalc. Congreg. Portug.

Pius PP. VI.

Nullus superior plures numero missas accipiat simul quam, quae a sui conventus sacerdotibus intra tempus a jure praescriptum vel a voluntate eleemosynam largientis statutum celebrari possint. Prior generalis aut visitator suae visitationis tempore perfectam hujus constitutionis expletionem sedulo inquirere et meritas poenas delinquentibus imponere potest; quod ut facilius deprehendatur, decernimus, ut in arca trium clavium quidam asservetur liber, ubi coram consiliariis, quotquot et acceptae et satisfactae fuerint missae, scribantur. Si vero Prior generalis aut ejus vicemgerens hanc remissius inquisitionem exequatur a generali capitulo severe puniatur et postquam praefecturam absolverit, voce activa et passiva per tres menses privetur.

Tenantur etiam quisque consiliarium socio, qui a suo conventu ad generale capitulum iverit, juratum testimonium tradere, ex quo coram capitulo patescat, utrum soluta an vero solvenda maneant onera missarum omnium, sive legatorum sive manualium, ad id usque temporis in monasterio accepturum, proindeque congruat istius priorem absolutum aut punitum dimittere.

Die 17. Martii 1783.

(Bull. r. Contin. t. VII. p. 28. Ed. Romae.)

(*Ex constitut. Ord. s. Pauli I. eremitae Congreg. Lusitaniae.*)

Pius PP. VI.

Sacerdotes nostri quolibet anno poterunt, pro quibus ipsis visum fuerit, missas viginii applicare, quae per menses erunt distribuendae; nullam

tamen pro illis eleemosynam accipiant. Caeterum reliquas missas, prout in tabella ad id in sacristia exposita praecipitur, celebrabunt. Diem tamen secundam Novembris excipimus, in qua nulla exponetur tabella, quo celebrans possit juxta decretum Benedicti XIV. e tribus, quae illa die celebrare potest missis, primam pro quo sibi visum fuerit applicare, dummodo eleemosynam non accipiant, quae in communes usus non cedat.

Die 16. Novembris 1781.

(Bull. r. Contin. t. VI. p. 377. Ed. Romae.)

32) Subtrahatio pro expensis.

Ad dub.: An permittendum sit Administratoribus ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiae, Altarium, Inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiae et similibus?

S. C. Card. Concilii Trid. interp. resp.:

Permittendum non esse, ut Ecclesiae ac loca pia seu illorum administratores ex eleemosynis missarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in missarum celebratione, nisi cum Ecclesiae et loca ipsa alios non habent redditus, quos in usum earundem expensarum erogare licite possint et tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum missae sacrificio necessarie sunt subeundae; et nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Die 5. Julii 1664.

Confirm. ab Innocent. XIII. Constit.:

Nuper a Congreg., quae est sub art.: *Stipend.* (num. accept. licita sit etc. p. 175; Urb. VIII. *Declarat.* n. 7.)

Ex eleemosynis Missarum nec minima pars retineri potest ratione expensarum, quae fiunt in celebratione, nisi cum Ecclesiae alios non habeant redditus, quos in usu earundem expensarum erogare licite possint. Quae portio nullatenus excedere debet valorem praedictarum expensarum. Tot Missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.

S. C. C. in Nullius provinciae Ravennat. 15. Septembris 1619.

Vd.: *Utensilia* (Subministratio).

33) Subtrahatio a Sacrista.

Delatum fuit SSmo quampluribus in ecclesiis sufficienti sacerdotum numero destitutis acceptari legata et eleemosynas pro missis non sine detrimento fidelium, qui defraudentur; expedire propterea id sub censuris prohibere et duorum librorum retentionem injungendam, ut in uno eleemosynae, in altero celebrantes adnotentur.

Prohibendam detractionem quartae partis eleemosynae missarum in pluribus ecclesiis practicatam sub praetextu cerae et aliorum.

Prout etiam abusum, quo aliquis Sacrista retinet quinque julios quolibet mense et manuali Sacerdotum eleemosyna sub ratione, quod eos ad celebrationem admittat.

Sub gravibus poenis etiam censurarum injungendam superioribus aliisve, ad quos spectat, munditiam mapparum in altaribus, et aliorum, quae in sacrificio adhibentur, prout etiam paramentorum nitorem.

S. C. resp.: Sufficenter esse provisum in decretis sa. me. Urbani VIII.

Die 26. Mart. 1678.

(Anal. J. P. 1864 p. 978.)

34) Superflua.

(Mutatio in aliud opus pium.)

Melevitana.

Plurima Melitae sunt pia Missarum legata aliaque praeter manuales in dies accedunt. His omnibus vero adimplendis pares non sunt pauci Sacerdotes ibi existentes et ad magnum idcirco creverunt munerum Missae non celebratae. Quum insignis igitur apud executores legatorum superextet summa et major erit ob difficultatem celebrantium futura, supplicent idcirco Sacrae huic Congregationi Petrus Franchez Garzias Pisano, Anna Mallia, Joanna Galleja, Maria Spitori, Margarita Barghetti et Ursula Magri pro applicatione superextantis pecuniae, redemptionem filiorum et vivorum a servitute Turcarum et pro perpetua insuper cumulandae summae erogatione in eorum redemptionem qui simile in posterum passuri erunt servitutis infortunium.

Confirmat Melitensis Episcopus abnormem et immensum fere numerum Missarum, quae ex legatis piisque fidelium oblationibus celebrari deberent, cumque talem esse, ut nulla omnino ratione ob defectum Sacerdotum adimplere valeat. Refert insuper se hac de causa Parochis omnibus et Confessariis in sacris visitationibus injunxisse, — ut Christifidelibus nunciarent christianum piumque opus esse et juxta graves receptasque sententias quandoque Deo gratius eleemosynas elargiri pro pauperibus sustentandis, iis praesertim, qui in paupertate evidenti peccandi periculo expositi reperiuntur; — sed inutile fuisse ejus monitum, nam quamplurimi propensiori affectu Altaris potius Sacrificium exoptantes quam eleemosynae distributionem pro pauperibus, novas Missarum fundationes in supremis tabulis in dies instituunt et frequentes

eleemosynas pro Missis adventitiis, adaucto etiam celebrantibus stipendio, elargiuntur.

Atque ita suum aperit votum: — quum itaque his circumstantiis omnino Missarum legata adimpleri nequeant, necessarium esse putarem, superextantes Missarum tam perpetuarum quam adventitiarum eleemosynas in aliquod pium opus commutare, ne eleemosynae pro altaris Sacrificio in animarum suffragium ab offerentibus relictas inertes ac otiosae remaneant. Ad me quod attinet, nullum inter pia opera tam christianum piumque esse putarem quam superfluas Missarum eleemosynas in redimendos captivos ab infidelium tyrannide impendere. Quam magnus sit Melitensium et Gaultitanorum numerus, qui elapso praesertim anno servitute patitur foedamque captivitatem cum discrimine abnegandae christianae fidei apud Turcas, omnibus pervulgatum est. Et quamvis in hac Insula non desint duae fundationes pro captivorum redemptione, eleemosynae tamen, quae ab ipsis subministrantur, cum scuta sexcenta hujus melitensis monetae pro quolibet captivo non excedant, impares omnino sunt tot excessivo captivorum Melitensium numero redimendo, ea potissimum quia hac praesertim aetate, nonnisi ingenti pretio a diva barbarorum tyrannide liberari valent. Quamobrem cum certum exploratumque sit, quam plurima Missarum legata, quamvis variis incertis sit illarum numerus, sine executorum culpa inadimplenda quotannis remanere, cumque nil gratius Deo sit quam ab infidelium servitute christianum hominem eripere, putarem superextantes eleemosynas, quae in posterum adhibitis omnibus diligentibus in Missarum celebrationem erogari nequeunt, in Oratorum aliorumque hujus Dioeceseos captivorum redemptionem impendi posse; eo potissimum,

quia ejusmodi commutatione Ecclesiarum cultui populique commodo aut Sacerdotibus, in quorum favorem paucis abhinc annis Missarum eleemosyna adaucta est, nullum omnino damnum inferitur.

Primo igitur in deliberationem venit, num superextans eleemosynarum summa erogari valeat in redemptionem captivorum Oratoribus attinentium et pro negativa urget canonica regula, erogari scilicet non debere in alios etiam pios usus, quod celebrationi destinatum est Missarum, ad *Text. in cap.: tua nobis de testam., Card. de Luc. annot. ad Sac. Conc. Trident. disc. 21. num. 3., Pignatell. consul. 50. num. 1. tom. 6., Scarfant. ad Caezop. lucubr. canon. lib. 4. tit. 5. tom. 2. in animad. num. 1.* Praesertim quia pro captivorum Melitensium redemptione duae in Insula Melitae sunt piae Fundationes. Pro affirmativa vero animadversionem meretur difficultas et quidem ob defectum Sacerdotum maxima supplendi numerum Missarum, quae ex superextanti pecunia celebrari deberent. Hac sane attenta difficultate absurda non esset erogatio superextantis summae celebrationi Missarum destinatae in pium redemptionis captivorum usum, ut in debilioribus terminis decreverit haec Congregatio Sacra in Syracusana Missarum 10. Martii 1759. Licet vero piae illae adsint Fundationes pro Melitensibus redimendis captivis, sufficientes tamen, Episcopo teste, non habent redditus, quibus omnes redimantur.

Deliberandum secundo, num praesens applicationis gratia concedi etiam in perpetuum debeat pro futuris captivis. Eadem fortasse in futurum erit Sacerdotum difficultas, eademque ratione major eleemosynae Missarum pars otiosa sit, christianae igitur pietati consentaneum esset, si perpetuum ex futuro eleemosynarum cumulo

institueretur piissimum redemptionis captivorum opus. Nedum sane a corporali captivitate liberarentur Melitenses, sed a spirituali alia abnegandae Fidei periculo. Notandum contra, quod perpetua eleemosynae Missarum erogatio in redemptionem captivorum perpetuo a Missarum legatis avertere posset Melitenses, qui exoptant propensiori affectu Altaris potius Sacrificium. Idque eo magis ponderandum, quia major in futurum esse poterit Sacerdotum numerus et pro omnibus adimplendis legatis.

Dubia sunt:

I. An sit consulendum SSmo pro erogatione superextantis Missarum eleemosynae in redemptionem captivorum Oratoribus attinentium in casu?

II. An sit consulendum SSmo pro perpetua erogatione eleemosynae in futurum superextantis in aliorum captivorum redemptionem in casu etc.?

S. C. resp.:

Ad I.: In casu, de quo agitur, affirmative et quoad personas redimendas, arbitrio Episcopi, cum praelatione favore attinentium Fundatoribus Legatorum.

Ad II.: Negative et recurrant in in casibus particularibus.

Die 15. Julii 1797.

Vd. *Stipend.* (num acceptatio licita sit a Sacerdotibus etc.; *transmissio.*)

Pius PP. VII.

V. Fr. Archiep. Taurinensi.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Canonicus Agodino, parochus et administrator parochialis ecclesiae Corporis Domini istius civitatis Taurinensis, quod cum apud se remaneat summa pecuniaria decem millium circiter librarum monetae istius regionis erogandarum in eleemosynas missarum cum ex piis legatis tum ex fidelium

commissionibus provenientius celebrandarum, cumque ob sacerdotum penuriam celebrationes hujusmodi nequeant fieri nisi in summa mille et quingentarum librarum ejusdem monetae, idcirco reliquam pecuniam in alias eleemosynas converti posse vehementer desiderat. Nobis propterea humiliter supplicare fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur memoratum exponentem et singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, specialibus gratis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus constituto tibi prius de narratorum veritate, eidem exponenti petitam facultatem, expletis celebrationibus missarum pro summa mille et quingentarum librarum, erogandi, quod summae praedictae remaneat favore hospitii Catechumenorum istius civitatis aliorumque pauperum et egenorum ita tamen, ut hi eleemosynas accepturi pluries aut saltem semel confessi et sacra communione refecti missam audientes omnipotentem Deum juxta benefactorum mentes exorent, auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio et conscientia gratis impertiaris.

Datum Romae die 28. Mart. 1820.

(Bull. r. Contin. t. XV. p. 303.)

35) Taxatio.

a) Ab Episcopo facienda.

Stipendia (pro miss. man.; num acceptatio licita etc.; decr. Urb. VIII. declarat. n. 5.)

Ad dubium: Posito, quod testator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum missae nulla praescripta eleemosyna, quaeritur: an liberum sit haeredibus eleemosynam sibi bene visam praescribere, an vero eadem eleemosyna praescribenda sit ab Ordinario?

S. C. resp.: Ubi nullam certam eleemosynam Testator relinquat, esse ab Episcopo praescribendam eleemosynam congruam, quae respondeat oneribus Missarum celebrandarum secundum morem civitatis et Provinciae.

Die 23. Nov. 1697.

Taxa statuenda est juxta consuetudinem loci aut legem synodalem aut arbitrio Episcopi.

S. C. C. 15. Nov. 1698:

Vd. t. III. p. II. pag. 183: *Quartum est etc.*

Lucen.

Emmus D. Card. Spinula Episcopus Lucen. suis literis enarrat in illa dioecesi saepius contingere, quod pii sed pauperes testatores legant locis piis exiguas summas scut. decem vel circiter cum perpetuo onere determinati numeri missarum; quae quidem legata acceptare renuunt locorum piorum administrati ob impossibilitatem vel saltem maximam difficultatem summas tam modicas investiendi sive in stabilia sive in census tutos atque seguros. Unde pro summo ejus zelo in defunctorum animas pietate consultit EE. PP.:

An casu quo locus pius legatarius nolit hujusmodi legata cum designato missarum onere acceptare, Episcopus possit statim erogari facere summam legatam in celebrationem tot missarum juxta intentionem testatoris ad proportionatam quantitatem eleemosynae manualis?

2. An Episcopus possit onera missarum nondum acceptata reducere absque beneplacito Sedis Ap. sive hujus Cong. quoties reductionem necessariam esse judicaverit ex eo quod locus pius legatum acceptare recuset, non diminuto onere?

S. C. resp. die 20. Junii 1682.

Negative ad utrumque.

Votum Card. Casanate.

An in casu quo locus pius legatarius nolit legata tenuia cum onere missarum acceptare, possit Episcopus demandare celebrationem tot missarum ex summa legata per manualem?

An possit Episcopus reducere onus missarum in fundatione quando locus pius non vult acceptare legatum nisi onere diminuto?

In omnibus ac singulis casibus particularibus recurrendum ad Sacram Congregationem quia ita sancitum fuit in decreto de celebratione Missarum §. primo, etiam quoad commutationem et in primo decreto explicativo quoad fundationem, ut in constitutione 45. Urbani VIII, tomo 4.

(Anal. J. P. 1864. p. 1005.)

Asten.

(Conc. Tr. Decr. de obs. et evit. in celebr. Miss. Sess. 22.; Decr. de Purg. Sess. 25.)

Ultimo exarato Elogio de Anno 1700, sub quo decessit Jacobus Vinea, gravavit Jo. Bernardum Stratam Nepotem et haeredem suum institutum ejusque filios masculos caeterosque successores fideicommissarios substitutos celebrari facere per PP. Carmelitas Ecclesiae B. Virginis de Carmelo quotannis et in perpetuum certis diebus et Altaribus Missarum numerum 84 pro anima propria et Conjunctorum, supponens pro dicta celebratione specialis hypothecae nomine Domum et praedium rurale in Testamento designatum. Subindeque deveniendo Testator ad eleemosynae taxationem inquit: *Con autorità a' detti PP. Carmelitani di poter costringere per via di giustizia detti haeredi e fideicommissarii et altri professori della presente Casa, Cassina e Massaria predetti al pagamento dell' eleemosina per la celebrazioni di dette Messe*

feriali, perpetue a ragione di soldi dieci per cadauna Messa, in difetto, e mancamento dell' osservanza et effettiva celebrazione di dette Messe, ascendenti in tutto al numero di Messe 84 annue tra feriali e festive, l'eleemosina de quali alla ragione suddetta rileva liure 42. cadauno anno etc. Ac rursus facta substitutione praefato Bernardo haeredi idem Testator prosequitur: Et estinguendosi totalmente la generazione e la famiglia masculina di detto Signor Gio. Bernardo Strado e delli suoi figli masculi soprannominati viventi e degli altri nascituri e descendentis dalli medesimi suoi figli, in tal caso detto Signor Testatore ha ristretto e restringe d. fideicommissio perpetuo alla detta e presente Casa solamente et esistente etc. con la total obligazione alla medesima adossata della celebrazione di dette Messe feriali e festive perpetue, ascendenti in tutto al numero di Messe 84 annue sopra espresse e dichiarate, con la limosina alla ragione di soldi dieci per cadauna Messa rilevanti liure 42 annua e regulate alla ragione di Messe dodeci per ogni scudo d'oro, conforme alla dichiarazione fattane nelle Costituzione sinodali del fu Monsignor Illustrissimo Vescovo Ottavio Brogna dell' Anno 1627 per trattarsi di Messe perpetue sono scudi d'oro sette annui devrà pagarsi a detti PP. Carmelitani in perpetuo dalli legittimi possessori di detta Casa fideicommissaria, la qual vuole detto Signor Testatore, che sia perpetuamente ipotecata et obligata per il pagamento di detta eleemosyna di Messe perpetue rilevanti detti scudi d'oro sette annui, non ostante, che passasse al dominio di qualsisia persona etc. di modo che potranno dd. Padri Carmelitani proesistenti in d. Convento conseguire detta eleemosina et agire in ogni occorrenza contra il possessori di essa